



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales**

Qvibus Totvm Hominis Christiani Officivm Explicatvr; Quídque is fugere,  
quid agere debeat, quàm exactiſimè traditur

**Segneri, Paolo**

**Augustæ Vindellicorum ; Dilingæ, 1695**

Discursus XIII. De necessaria Liberorum Educatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45964](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45964)

DISCURSUS XIII.

De necessaria Liberorum Educatione.

**H.** Um hodie curæ vestræ commendaturus sim rem, quam habetis omnium charissimā, liberos, inquam, vestros, tempus omnino me perditurum existimarem, si probare contenderem, vos ad rectam eorum educationem esse obligatos. Natura ipsa, cui tantopere utilissima hæc educatio cordi est, ut non aliā magis causā perpetuum esse voluerit conjugii vinculum, ipsa, inquam, Natura documentum hoc Parentum omnium animis profundissime inscripsit; quod si dederunt liberis ut essent, id agere etiam debeant, ut boni sint, custodiendo illos à periculis peccandi, corrigendo cum delinquant, & tam salutarium hortationum, quàm rectorum exemplorum vi impediendo, ne pravi fiant. Quomodo igitur ferri potest inexplicabilis socordia, quā non pauci hodie obligationem tam gravem penitus negligunt, cum hæc non cum Fidei tantum & Rationis, sed ipsius adeo Naturæ principis tantopere pugnet? Sinite igitur, ut si quis vestrum fortassis est, qui dormiat somnum tam profundum, tamque noxium, illum excitum,

demonstrando, Parentes planè omnes, qui educationem hanc laude dignissimam negligunt, crudeles & atroces esse in se ipsos æquè, ac in suos; & veluti ancipiti gladio ictu uno plagas geminas infligere, unam salutis suæ proptiæ, alteram salutis eorum, quos genuerunt. Si unquam linguam desideravi igneam, illam hodie desidero; cuperem enim insculpere veritatem istam tam necessariam, non in eorum duntaxat, qui mollis instar ceræ ad recipiendam etiam à frigente sigillo figuram maximè idonei sunt, sed in illorum quoque animis, qui durissimo quovis ligno contumaciores non nisi candenti ferro cedunt.

I.

II. Primò igitur assero, ex rectâ educatione boni plurimum in ipsos liberos derivari. Assirnant hæc assertionem meam, non divinæ tantum, sed humanæ etiam literæ, id quod argumento est, esse longè certissimam atque evidentissimam. Sa-  
*Plat. l. 4. de Leg.*  
pientes inter homines sibi persuaserunt, sine sollicitâ hæc liberos rectè educandi curâ vanas esse omnes leges, decreta nihil profutura, documenta inutelia; ipsam autem solam sine aliis præceptis ac legibus sufficere

sufficere ad contingendos in officio Populos. Hinc Lacedæmonij, à Lycurgo, quo celebrior inter antiquos Legislatores alter non fuit, edocti, tam constanter rei huius momenta æstimant, ut cum liberi deliquissent, non hos, sed Parentes eorum ad pœnam vocarent. Uode præter alia eius rei exempla aliquando duos Parentes magno ære multant, propterea quod eorum filii inter se in rixâ ad manus venissent; excusando Adolescentes ob ætatis illius incogitantiam, senes verò ob neglectum educationis officium excusando. Tæm fixum eorum animis erat, à vigili majorum oculo ac curâ, tanquam à radice, omnem Minorem felicitatem, aut calamitatem nasci ac generari.

*Eccl. 30.* III. Ipsam hanc veritatem majori deinceps autoritate Sanctus Spiritus *Prov. 13.* divinis in literis iterum iterumque *Eccl. 7.* inculcavit: aded, ut nisi studiosâ malitiâ luci claudere oculos malimus, necesse sit fateri, cum à rectâ Juventutis educatione eius solus pendeat, hanc scilicet rotam illam esse primam atque præcipuam, à qua motus omnis familia bene constituta initium ducat. Nec multum dixi, dum hac à curâ & liberorum, & familiarum salutem præcipuè pendere dixi; debebam dicere, inde pendere unicè. Ita Deus ipse censuit, familiariter cum charâ sibi quadam Animâ locutus. Exedebat illam Sanctus dolor, dum perpendebat Christianorum huius ætatis mores

consceleratos; & Deum identidem cum lacrymis rogabat, dignaretur eos ad illam morum honestatem ac sanctimoniam reducere, quæ primitivæ Christianæ Religionis seculum floruit. Ad solatii aliquid moribus afferendum apprensus illi Christus pomum monstravit putridum, cum dicto: Difficile est pomum huic gratiam reddere ac venustatem, quam habuit, cum maturesceret: facilius proin erit, seminis, quæ continet, grana terræ committere, quæ suo demum tempore maturos ac salubres fructus progerminent. Intellexit hoc factus Anima illa emendationis morum studiosissima, aliter illam rectius sperare non posse, quam si educationi teneræ ætatis seria opera impenderetur: ex hoc enim totos passim populos meliores futuros. Certum est, Sapientissimos Synodi Tridentinæ Patres, post multas ac longas deliberationes, quibus inter se de moribus Christianæ Reipublicæ corrigenda, quod tantis studiis desiderabatur, egerant, medium fini huic obtinendo utilius non invenerunt, quam rectam ætatis teneræ institutionem, id quod verbis gravissimis in ipsius Concilii Actis declararunt. Quare parùm abest quin dicam, & Concionatores, & Confessarios, & Patres oleum & operam perdituros propè omnem, nisi Patresfamilias rem etiam adjuvent: ab his enim magis, quam à quibuscunque aliis aut salus, aut exitium liberorum pender sempiternum.

IV. Autoritati summæ, quæ hæc ætatis assertionem meam stabilivi, accedunt rationes duæ, quæ eandem faciunt manifestissimam. Prima est, quod à primis annis bonum & honestum sequi sit facillimum; altera, quod ætas adultior illud cum summa difficultate confectetur. A prima ordiamur; Statuæ alicuius perfectio unde pendet? pendet magnopere à primis scalpri ictibus, & lineamentis rudem in materiam inductis. Est autem ætas Juvenum saxi instar, è quo statuæ effingenda sit, apta ad admittendos ductus omnes virtutum, aut virtutum, qui primis ictibus inducantur: & autoritas illa, quæ Parentes erga liberos natura ipsa instruxit, id efficit, ut hortationes audita, exempla oculis usurpata longè efficacissimè influant in bonum perinde ac malum. Eam ob rem tantum potestatis Deus contulit Parentibus increpandi & castigandi, ne quidquam hi prætexere exultationis possint, si ab honesti semita Liberi deviant: haud aliter ac Ducibus Exercituum, ne quid & ipsi prætexere, & in alios culpam conjicere possint, jus ac potestas plena & independens in milites concedi solet. Si cui vestrum beata hæc fors obtigit, ut rectè honestèque educaretur, nullo non die gratias Deo agat, quia id ab eo ratio postulat: absque hac enim educatione foret, vero est longè simillimum, nullam indolis profectionem ad bonum quidquam fuisse profecturam. Nullius plantæ indoles dulcior, quàm vitis: inven-

tus tamen modus est, quo radicibus veneno infectis hæc quoque venenatas uvæ progignat. E diverio *Theophr.* lacte semina emollite, & experientia *de plant.* vos docebit, suaviores semper indel. 2. c. 19: fructus nascituros. Ere foret, vesperi, cum omnis familia congregata est, crebrò repetere pulcherrima illa Sancti Senis Tobia verba, quæ mox referam. Prò quàm dulcis laetis loco illi forent! diserte pronuntio, multos etiam, & seros post annos suavitatem eam in moribus ipsorum se prodituram: *Omnibus, Tob. 4.* ajebat ad filium, *diebus vite tue in mente habeo Deum; & cave ne aliquando peccato consentas, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri: aut omitendo bona, quæ præcipit; aut perpetrando mala, quæ vetat. Omni tempore benedic Deum; & pete ab eo ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant. Quod ab alieno deris fieri tibi, vide ne tu aliquando secoris alteri. Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere, ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo porueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum, etiam exiguum libenter imperari stude: animus suppleat, quod maruptio defuerit. Fuge periculosum pravorum consortium: & in cunctis negotiis tuis consilium semper ad Sapientem perquire, qui si ad manū tibi non fuerit, etiā ex longinquo illū consule. Hæc erant optimi illius Patris sententia, quæ vel dum vobis recito, lacrymas agrè teneo: & si ejusce generis documenta atque monita*

R. P. Segneri *Christi, Instr. Tom. I.*

NB, Z idem

identidem in familiis Christianorum audirentur, ó quàm faciem suam non multorum annorum spatio Orbis Christianus mutaret! Regnaret in domibus singulis Pax, non discordia; Tempa forent locus Orationis, non garrulitatis; & verbo, Christiani futuri essent Christiani, pleni inquam amore mutuo ac charitate, pleni observantiâ & reverentiâ erga communem Dominum. At si liberi pro eo, quòd eiusmodi documenta audiant, sicque instituantur, ex Parentum ore audiant verba, quæ vel Mahometi sectatorem, aut Atheum aliquem dedecere, mirumne esse potest, si vitam eorum magis bestiarum, quàm hominis vitam esse inveniamus? Plantæ istæ venenum ipsis in radicibus imbiberunt; Sperari aliud non potest, quàm ut fructus ex iis nascantur venenati.

*Swins  
in vita.* Wenceslaum observate & Boleslaum, Boemiæ Duces, fratres Germanos. Ille, quia ab Avia Ludmilla, tamina Sanctissima, educatus fuit, evasit & ipse Sanctus; hunc quia à teneris instituit Mater Drahomira, mulier consceleratissima, tam & ipse in scelerum palæstra profecit insigniter, ut vel fratrem patricidali ferro mactaret. Videmus non nunquam hominem indole optima moribus esse depravatissimis, & in publicum exemplo noxiis: qui eius rei causam ad unguem exquireret, domi illam inveniret, in qua is est educatus. Ibi, quæ vidit mala, & quæ non audivit bona, fecerunt, ut

indoles præclara in mores corruptissimos degeneraret: sic & tellus malè culca pro hordeo avenam, pro tritico siliquæ, quin & infelix locum quandoque gignit.

V, Multum proinde dixit, quæ Matrem dimidium liberorum dicitur. *Dimidium filiorum est Mater*: nec tamen satis dixit: sæpe enim non dimidium tantum, sed plus, & propter totum est. Cùm rumor percrebuerit de filia plenum dedecoris facinorosa, nemo jam culpam omnem in filiam conijciat: pro quatuor in ea Mater habet? si hæc pro eo, quòd omnes illam ad saltus & choreas duceret, vultum aquis odoriferis ablueret, januam domestico Demoni, personam amantis induta, aperiret, à primis mox illi annis dulcè instillasset odium peccati, ignominie metum, publici fugam, causam agendi rationem, pietatem in Superos; si eam docuisset non dissipare capillos, sed animum confessione rite expiare; non aridere transeuntibus ex fenestra, sed manere vesperi Dei Matris opem implorare; an creditis ita turpiter fuisse lapsuram? Non nascuntur scorpionum chele, cùm mordet: jam ante hæc armatus erat. Quisquàmne sibi persuadet, præva hæc in publicum exempla tum cœpisse, cùm protraxerunt? non unus sæpe annus ab inter tam probrosorum facinororum meditamenta & apparatus, & nemo monet: tum solum, cùm ignem jam concepit cuniculus ad fragorem illum

illūm cohorrescit mater, pater evigilat, & uterque eum proditorem appellat, qui tantum dedecus in familiam intulit, & agnatos omnes turbavit, atque aliorum ludibrio expoluit. Si autem ille perfidus est ac proditor, cur, cū nocturna accederet ad conventicula, tam festivè illi plandebatis, tam excipiebatis hilariter? Quare cū familiaritatem non optimam parabat delerere, non tantūm eam ad rem non juvenis, sed studiosè impedivistis etiam, ac retinivistis? Ingemiscite modò & flete, sed alios à me quarite, qui vestras vices doleant; ego bonā vestrā veniā, ne si velim quidem, facere id possum, cum videam vosmet ad securim illam, quā afflicta prostrataque res vestrae sunt, manubrium optasse. Qui nunc clamores, qui strepitus postcalum! minore sanè inpendio ille caveri poterat. Discretè pronuntio, filios vestros ac filias tales semper fore, quales illos vultis, Deumque plus minusve collaturum gratiæ, ut boni sint, prout magis minusve ardens vestrum in iis educandis studium fuerit. Observate modum, quem olitor tenet in aquis ad rigandas horti sui plantas derivandis, canalem initio, seu fossulam excavat, per quam illa decurrant. Idem vos institutū tenete; vestrā peranda, industria est divini gratiæ via, eaque non minore curā, quā copiam in Liberos vestrorum animos derivanda. Et verò, qui in Ecclesiasticis factis hiospes non est, meminerit se le-

gisse, Matres illas, quæ sedulò in id incubuerunt, ut Sanctos Deoque quàm maximè charos haberent liberos, tales eos etiam effecisse. Mater S. Clementis Ancuprani filium suum Martyrem desiderabat à teneris annis, eaque causā identidem ei narrabat certamina aliorum inclitorum Martyrum ac triumphos, & Martyrem tandem & ipsum celeberrimum habuit. Mater S. Ludovici Galliarum Regis optabat unice, ne illā graviore noxā filius Deum offenderet, & idcirco cū ad lomnum capiendum obituro bene precaretur, inculcabat identidem: Fili, mortuum te his in brachiis videre malle, quàm lethali noxā obstrictum: & habuit quem voluit, inter Regni florentissimi, quale erat Galliarum, pericula, ac illecebras innocentem. S. Edmundi Mater & ipsa virginem cupiebat filium suum, & talem ut haberet, linæ, quam ipsi mittebat, supellectili & vestibus, dum literis operam dabat, adjungebat nunc flagra, nunc vestem aut cingula setosa; obtinuit autem & ipsa Virginem in paucis illustrem: & sic alia identidem aliaque extitere Matres prudentes, quas singulas enarrare longum foret, quibus beata ejusmodi fors obtigit: Deus enim Sanctos earum fines promovebat, conatus subministratis opportunis auxiliis adjuvabat, cælestisque suæ gratiæ dona tantā mensurā ac copiam communicabat, quā ampli ac capaces erant sulci, quos ipsæ effoderant. Atque aded hinc rectè arguo, vestras de liberis

liberis vestris querelas, querelas esse de vobis ipsis; tales enim filii vestri erunt, quales vos tandem illos sedulâ educatione effeceritis.

VI. Ut autem evadant ita boni, necesse est maturè ordiri, priùs nimirum quàm exortum jam durum quo sit lutum; quàm enim est facile initio & ab annis illis, in omnem partem cereis flecti, bonos reddere, tam id difficulter obtinetur, eùm jam obduruere. Atque hæc altera est, quam proposui, ratio, ut vestris animis inculperem emolumenta, imò necessitatem educationis salutaris. *Filii tibi sunt, Dei verba sunt, erudi illos & curva illos à pueritia.* Aliquot post años agnoscunt non raro parentes, etiam magno malo suo, quàm noxia toti familiæ fuerit negligentia, quâ usi sunt, eamque emendare, sed serò nimis, desiderant. *Curva illos à pueritia.* Ubi occaluerint, omnis jam disciplina intolerantes erunt: si reprehendere voleteis ipsi respondebunt durius: si increpare vehementius, ipsi vix ac ne vix quidem manus à vobis abstinebunt; sic ut miser Pater, misera Mater majori malo cavendo sibi ipsis attendere debeant. Atque hic est insignis ille fructus negligentia in educando, quâ factum est, ut malum remedium jam nullum superit. Et ingemiscant subinde, acerbèque doleant, quòd liberos tam immorigeros experiantur! Canem culinæ, patinis & ollis assuefacitis, & conquerimini deinde, quòd à venatione abhorreat, aut ad eam

ineptus sit. Cui id imputandum? In suo illum tempore alligassetis catenas, si sicco pravissetis pane, nec foras conlectandi aviditatem, nec eas odoratu pervestigandi vim perdi disse, hæc fert S. Basiliius, obtinuisse olim consuetudinem, ut liberorum, eùm tertium annum expleissent, status exploraretur, ut inde consecutura desumeretur, ad quem magnitudinis terminum grandiores essent perverturi: experientia enim competens est, parvulum trimum tertium habere statum partem, ad quam eùm vir excreset. Videor mihi non adraturus à vero in divinanda mendacra, non statum corporis, sed morum malitia, si simili conjectura uteretur, & viro filiolo inobediente, nulli in superos, nulli in Majores reverentia ac pietate, & insignitò nequam, nulli errandi metu pronuntiare; triplicem nequiores, frenique magis impotentem fore juvenem, quàm nunc puer, aut adolescens. Liberaret nunciaci fallendivè periculo Spiritus ipse Sanctus, qui non juvenem tantum, sed & ætatis decrepitæ prognosticum desumit, ex adolescentia. *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Avertat bonus Deus; ne liberi vestri à tentis assuecant vitiis: plerumque Juvenes deteriores erunt, & quod pessimum est, ne senes quidem à se ipsis evadent: Montium eorum instar, qui sinu suo ignes fovent, quibus quantumcunque multa nive hiemis tempore undique obtegantur, non

Eccli. 7.  
27.

Tob. 20  
11.

Prolog.  
1.  
6. 7.

Marci

minus tamen intus flagrant, quam in medijs canicula æstibus flagrant. Nimis quam ratum ac arduum est, ut vitia quæ nobiscum à cunis creverunt, nobis præmorianur. Id ferme usuvenit, ut alius penetrant, & duris nostris ossibus pro medulla sint, nec nisi cum frigido cadavere tumulo inferantur. *Ossa ejus implebuntur*

*Job. 20. vitis adolescentia ejus, & cum eo in pulvere dormient.*

VII. Heu miseros Parentes, qui tam grave malum tam parvum curant occupare & miserandos liberos, quibus obtingunt Parentes tam ignavi! Nulla non Eclipsis naturæ noxia est; aliæ tamen aliter noent: nulla autem illâ nocentior, quâ Sôl primo mane à Luna obtegatur. Non aliter omnis quidē noxa gravis, quæ Deum nobis aufert, nocet gravissimè, quis neget? nulla tamen dici potest detrimenti plus afferre quàm illa, quæ in prima ætate admittitur, in iis, qui sibi ejusmodi culpas familiares reddunt. O Eclipsin funestam? in seros annos sua damna prorogat! *cum eo in pulvere dormient.* Quare cum quis vestrum audierit amicum de liberis suis conquerentem, ex eo id quarat, quod Christus Servator ex infelici illo Patre, cujus meminit S. Marcus, & non errabit. Duxerat is filium suum enervamentum ad Apostolos, ut potestate à Christo in ipsos collocata egerent possessione suâ malû genium: sed frustra id fuit: Dæmon præter morem tunc vicit, nec loco cessit! Parens proinde tum quàm unquam antea mæstior ad Christum re-

currit, & opem infimis precibus postulavit. Et, à quo tempore, quæ hinc hic, nequam filio tuo infestus est? *Ab infantia,* respondit Parens. Itane ab infantia? ô nuntium infaustum! Sed sistamus nos hic, & investigemus, quâ causâ Christus id interrogavit, quod eum minimè latebat: hoc ipsum responsum manifestat: voluit enim, ut qui gratiam supplex petebat, ex antiqui & inveterati mali magnitudine magnitudinem disceret prodigii, quo ad illud persanandum opus erat. Quare vos etiam, cum queritur Parens aliquis, filium in blasphemias voces prorumpere, id agite: querite ex eo, à quanto tempore protervus ille ejusce sortis Dæmonem secum circumferat, qui linguæ hominis Christiani voces ejusmodi, Egerat, quibus magis impiæ vix Luciferi in regno audiantur? si reposuerit: *ab infantia:* à primis inde annis vocibus tam sacrilegis assuevit: suadete quæso mæsto Parenti, ut ad Christum opem rogaturus se conferat; nec enim vir ullus Religiosus suis Concionibus, non sacer Arbitrè monitis, nō hortationibus aut aliis remediis Curio, quidquam in eo curando proficiet. Si Matrum harum aliqua queratur, filiam suam effrondem esse, sermonibus pessimis anam præbere, gravem ignominiam familiæ accersere, fateatur autem non tunc recens ratum malum, sed *ab infantia* traxisse originem, jam pridem amâsse spectare & spectari è fenestris, joculari cum adolescentibus, solam cum solis versari, cum id clam & insciâ Matre fieri poterat:

O te infelicem, reponite, doleo vi-  
ces tuas? malo tamen tuo reme-  
dium in terris non suppetit, in cælo  
illud quare; à Deo opem postula;  
Matris Virginis implora patrocini-  
um; Stipem in pauperes eroga;  
jejuna, ora, promitte Deo, qua  
speres placitura: id nî fiat, Stygius  
hic lalcivæ Genius cruciabit filiam  
hanc tuam non tantùm Juvenculam;  
sed cùm Marito nupserit, vim ac  
impetum geminabit; & si misera  
eò usque vitam produxerit, ut ipsa  
jam famulari suo corpore Stygi non  
possit, internuntiam agere volet,  
domi suæ teget infanda flagitia,  
facièrque ut habeant, ubi sine inter-  
pellatoribus alii peccent, ut horum  
saltem in personâ rem gratam Orco  
faciat. *Ab infantia*. Quotidiana  
experientia in bono perinde ac malo  
affirmat illud Jurisperitorum axi-  
oma: Principium plus semper esse  
quàm principium; sepe bonam to-  
tius partem esse, & tantùm non  
ipsum totum. *Cuiusque rei potissima*  
*pars, principium est.* Fidâ proinde  
memoriâ tenete, quidquid hæcenus  
inculcavi. Si salutem eorum ama-  
tis, quos genuistis, id ante omnia  
agite, ut sic eos educetis, sicut oportet;  
agite autem hoc maturè, idque  
ob duplicem hæcenus explicatam  
causam: primò quidem, quia fa-  
cile est id obtinere, cùm tempore in-  
cipitur: deinde verd, quia mora  
omnis noxia est, & obtineri jam  
nullo modo potest, quod tuo tempo-  
re fuit neglectum.

L. Fa-  
cturus.  
ff. de  
Orig.  
Juris.

II.

VIII. Quod si quis vestrum adeo  
omnem exuisset humanitatem, ut  
primum istud vulnus, quo libero-  
rum suorum Animas pravâ educati-  
one vulnerat, sentiret parum; ad  
alterum saltem, quod priore hanc  
quaquam minus est, animum adven-  
tat, quo se ipsum lædit, atque in  
omni ex parte rebus suis invigilat.  
An enim est quispiam, qui sibi pe-  
suadeat, fieri difficulter posse, ut  
quemadmodum non patiti filii Pe-  
rentum suorum noxas in Inferno la-  
unt, ita & Parentes plurimi hanc  
noxas suorum filiorum? Nihil  
quàm pronum est id accidere; ar-  
utinam raro accidat? Respondeo  
Florentiæ infamis muliercula, tu  
Benedicta nomen: hæc aliquando  
aspektabilem Dei Matrem habuit,  
in bene cceptis firmaretur, & hæc  
eâ audiit. Reputa animo, filia  
quàm benefica in te fuerit Dei mis-  
ratio, quæ te retraxit à flammis In-  
ferni, in quas præ multis digno era-  
gi, & permittit, ut in cas præciti-  
tes ruant, qui paucioribus, quam  
tu, flagitiis sunt obnoxii. Hæc ipse  
nocte Florentiæ quaterni motientat  
& æternis addicentur suppliciis. Sim-  
etiam singulos nominibus expressit,  
indicavitque, quæ exitij eorum fu-  
tura esset causa: has inter nomi-  
navit infelicem Patrem, qui rogo  
erat addicendus ob neglectam libe-  
rorum suorum curam. Quid jam vo-  
bis videretur, an rara sunt ob negle-  
ctam educationem æternùm perentur-  
tium.

tium exempla, si quaternos inter huius noxæ reus unus est? Neque causam assequi arduum est. Gemino ex capite censo facile esse, ut multi Patres, multa Matres æternum pereant: primo ob peccata à liberis eorum admitta; secundo ob peccata, quæ ipsi liberorum causâ admiserunt. Et quia non pauca peccatorum eiusmodi occulta sunt, tanto gravius est periculum, propterea, quod hoc ipso vix ulla eorum habeatur ratio, nemo de illis eorum Sacerdote se accuset, nemo illa detestetur, multoque minus serio illa emendet. Quare, ne numeri meo desim, vestre salutis promovendæ studio texam hic catalogum bene longum primæ perinde ac secundæ fortis peccatorum, ipsum terum ordinem secutus.

IX. Quod igitur ad peccata spectat, quæ filiorum gratiâ & occasione Parentis admittunt, contingit non raro, ut hæc ipsos etiam liberos prævertant. Primum, quod stulta illa Puella, dum nubit, sibi propositum habet, est, ne liberos pariat, & quamquam hoc animi decretum plane per verum sit, crescit tamen semper cum tempore, vel quia familia plus, quam vellet, aucta est, aut quia pariendi difficultate sapius jam ab ultimâ vitæ lineâ parum absuit. An liberos non vis? cur igitur, cum hic sit princeps conjugii finis, nubere voluisti? si Mater tua & ipsa sic delirasset, quomodo tu nata esses? Itane igitur Turcarum, aliorumque Infidelium conjuges non desinent

proles innumeras gignere, quibus Infernus impleatur, Matres autem Christianorum effata nullam Cælo sobolem gignent? Terrent te dolores partus, & non magis terret te pudenda peccati tui scditas, quod Tertullianus existimavit genus homicidii tanto atrocioris, quanto magis festinati? *Homicidii festinatio Apol. 6. 2. est, prohibere nasci; ne refert, natam quis eripiat vitam, an disturbet nascentem.* An terrent te difficultates educandi partum, quem genuisti, & non magis vires suggerit spes animam cælo lucrandi? Quis unquam Agricola tam insanivit, ut metendi laborem, manipulorum pinguium & messis ubertate compensatam non existimaret? Pessimum autem est, quod nonnunquam viri quoque non minus despiciant, in quibus perturbationis vis adeo vel ipsas suis ingentibus à naturâ veritates pervertit, ut plane væcordes reddat. Insevit natura Parentum animis ingens & vivum prolis desiderium, quæ merito & flos thalami conjugalis, & fructus amoris mutui, quo se Coniuges complectuntur, potest appellari. Hoc autem non obstante, sit materia timoris, quod spei esse debebat, & non pauci, vilissimo timore adacti, sponte renuntiant privilegio supervivendi in posteris, & vel post mortem, in filiis à se progenitis sese conservandi. *Mortuus est Pater, & quasi non est Eccli. mortuus; fratrem enim reliquit sibi 30. 4. posse.*

X. Quis deinde explicet flagitia, quæ

quæ conjuges excogitant, ut affequantur, quod propositum habent, ut inquam, familiam (sic enim loquuntur) non evertant sobole plus æquo numerosa? satis sit dixisse, abominanda, quæ eâ causâ patrant, facinora, vel ipsis bestiis ignota esse: unde homo, qui phrasi loquendi SS. Literarum, similem se facit jumento insipienti, his in flagitiis equos effrenes, & omne aliud magis indomitum bestiarum genus superat. Ponite deinde, Matrem illam fœtum concipere; tum illa haud secus, ac si utero circumferret pondus inutile & non Animam Rationalem, nullo satis pretio astipabilem, nulli non periculo se exponit, nullum laborem devitat, & ne devitet, etiam nequam Maritus imperat. Atque ex hoc hominum genere nonnulli tam nihil hominis habent, ut uxorem gravidam verberibus malè mulctare non vereantur. Sanctus Cyprianus alij Novati Hæresarchæ flagitiis etiam istud annumerat, quod uxorem calcis ictu abortire fecerit. Et verò tam indignè tulit vir Sanctus atrox hoc facinus, ut illud non levius duceret eorum scelere, qui Diis immolant, & pedem tam immane ac barbarum flagitium ausum magis consceleratum pronuntiaret, quam illas manus, quæ metu adactæ Idolis thur adoleverant, quarum tamen manuum crimen Novatus ipse nullis expiari lacrymis, nullo quantum vis serio perfectoque dolore purgari posse affirmabat; *Et damnare nunc*

*Eph. 8 l.*  
2.

*audet sacrificantium manus, cum ipse nocentior pedibus, quibus filius, quos noscebatur, occisus est.*

XI. Progrediamur porro, & cogitemus fœtum nasci: non hic peccatorum finis, sed initium est. Multæ siquidem Matres, ad evadendas, quæ in sedula educatione exantillande sunt, molestias, eodem cum tenella infantibus lecto accumbunt, quo fit, ut subinde illi à dormientibus opprimantur; aut uberibus tam diu admotos retinent, donec ipsâ lactis copia suffocentur. Nec nulla Maritorum eo in genere culpa est, hic enim nec uxores talia factitantes serio prohibent, nec, quo par est, verborum pondere admonent; nec advertunt, etsi re ipsa soboles aliquando non præfocetur, id tamen incogitantiam hanc non satis purgare; sed hoc ipsum potius, quod nullâ necessitate, nullâ verâ causâ tali discrimini se illi fœtum exponeret, argumento luculento esse, non paucos è Christianis progenitores exiguo Dei offendendi metu teneri, cum in vitæ à se electæ conditione voluptates tandem à commoda consuetentur, ejus tamen onera ferre recusent.

XII. Crescit exinde soboles; & infans eluctatur; cum illam Mater secum in Templum ad rem divinam defert, & ipsi præcipuè Matri, & aliis inter preces impedimento futuram, Totum rei divinæ prægendæ tempus impendit illi componenda blanditiis delinenda, aridendo, corollæ peccatoria strepitum ciendo, eo scilicet

licet sine, ne aliis obturbet. Cur igitur domi non relinquitur, si dum ad Templum deferretur, necessitas matri imponitur, Dei domum nugis ejusmodi profanandi? Interea crescit Parvulus, & quia bellulus est, ac insignitè gratiosulus, haud aliter ac idolum tuum illum parens uterque observat, & in oculis fert. Mater non tantum errantem non corrigit, sed ne ferre quidem potest, si à Patre comigatur. Quin amore hujus suæ sobolis ita tota capitur, ut Dei ratò meminerit, non solum pecum pensum persolvat, non divinis Mysteriis consueta frequentia utatur; atque ita sensum sine sensu nullum aliud, quam anima propria negotium munda illi cordi est. Hic ipse amor in leges Justitiae, quæ ab illis liberis obstringitur, peccare; filiae quidem displicent, quia dote, quam accepturae sunt, filioli ejus patrimonium minuunt; filii vero alii, quia partem ejus sibi vindicabunt: tantòque hæc Injustitia sumit incrementa, ut Deus ad insanam Matris amorem puniendam, tollat è vivis istum filiolum, & parvulum hoc idolum, quod in Matris animo superiorem vel ipso Deo locum obtinuerat, evertat & humili assigat. Tum enim vero insanis omnia lamentis, querelis, et iulatibus personant; & num id jure ac merito? Molynes, Monte reversus, offendit Populum divinos honores vitulo aureo deferentem: & tanta exorsit indignatione, ut Idolum in rogum iniecerit, & in cineres rede-

R. P. Segneri Christi, Instr. Tom. 1.

gerit. Sed cur tanto furore seditum est in Idolum, in quo culpa pars nulla residebat? an causa fortassis Idololatriæ ipsum fuit? Haud sanè, sed materia tantum & objectum. Quia tamen Dei locum ratione tam indigna tenuerat, satis id fuit, ut etsi ab omni culpa immunè, minimos in pulveres redigeretur. Nec ego ignoro, Puellum illum reum non esse immoderati illius amoris & effectus, quo in illum Mater fertur; quia tamen hæc occasione illius inde à principio tam multa admisit, & admittere pergit indigna, moriatur sanè moriatur, & illum revertatur in pulverem, ex quo paulo ante formatus est. Interim pergit plorare Mater; Medici negligentiam accusat aut imperitiam, morbum detestatur, culpam in trivencicam aliquam conjici; de se autem non queritur, nec illi irascitur peccato, quod solum vera fuit tanta jectura origo & causa.

XIII. Patrum autem amor non tam tener quidem, nec tam sui impotens est, ut iste Marrum erga liberos; altera tamen parte nihilo hoc melior est. His siquidem providendi, eos promovendi, & opibus instruendi prætenu Avaritiæ in animo locus datur, & cum ea cui sceleris locus non datur. *Avaro nihil est scelestius, si Deo as. Eccli. 10.* sceleris credimus. Scelus nullum tam atrox est, quod admittere vereatur, cui propositum est splendide discere. Egeni stipe nò juvantur nomina nò expunguntur, merces pretio justo maxime venduntur, redduntur detentores, miscentur, adulterantur, exiguntur usura

NB. Z.

in

injusto emittuntur: Dominis non suis, sed furibus: atque hæc omnia familia evadendi stabiliendique studio. Nihil dicam de negligentia, qua ad hiberi non docentur necessaria ad salutem, aut eò non mittuntur, ubi ista doceantur: nihil de libertate malè agendi, quæ ipsis relinquitur, nihil de documentis, nihil de pravis exemplis, quibus ad vitia incitantur: alius erit de his ex destinato agendi locus ac dies. Modò tempus non suppetit, ad tam multa & varia simul tractanda. Eo tamen, quod mihi etiamnum suppetit, non omitam vos admonere de defectu gravissimo, qui tamen vos, etsi immeritò, parùm angit. Malè metuo, ne cum jamjam in labris, sistenda Judici, hæcbit anima, haud paulò gravius appariturum sit id, ad quod multianimum non advertunt, quòdque consequi potest ex eo, quòd liberi etiam grandiores natu, eodem in strato recumbere permittantur. Dicā solum, Galliarum Regnum ætate nostra vidisse hoc in genere spectaculum tam funestum, ùthodieque inhorrescat, cum ejus subit cogitatio. Vir Nobilis geminam sobolem genuerat, matrem unam, alteram fœminam: utramque mali vel cura nulla, vel metu, plurium annorum spatio eodem in lecto cubare jussit. Hæc straminis & ignis propinquitas tam fœdum libidinis ignem inter miserandos hos Juvenes excitavit, ut non solum ætate & annis juvenilibus, sed tum quoque, cum soror Marito alteri, frater alteri conjugi junctus

est, in flammam erumperet. Cui enim neuter Maritalis thali innuixis amoribus contentus viveret, filius uxorem, filia Maritum delegerit, & ambo, vestibus alios meretrici: nocta se fuga proripuerunt: rabundi, ut pridem ceptis incestuosis voluptatibus friverentur: eo illique, ut cum ubique fœdissimi in commercii vestigia relinquerent, tandem vindicti Justitiæ promeritis penas dederint, Capti siquidem & de adulterio incestuque; convicti caput eadem hora publico in teatro carnificis ense resecandum iussu jecere. Si quod Philosophus ille volebat, usu receptum esset, ut pignos Parenti contunderetur, quoties filius in verba pudori advertentiæ prorumpit, quod quælo plucii genus Patri huic deberetur, cui tam nulli curæ fuit, precandi occasionem his suis liberis adimere? Aristotelis sententia est, quarto, aut quinto ætatis anno parvulos incipere somnare, Mihi videntur quarto quintove annos jam aperire. Non explicio res pluribus, sed hoc tantum asserto materia, tanti parte una momentati pro audientibus, tam lubrica stem parte altera pro iis, qui de ea disserunt; si annorum ratio subducatur, Feste sancto Hieronymo, deprehendi, Salomanem vix duodecimum genuisse filium Roboanum, quin & Achaz Regem eadem ætate jam Parentem fuisse. Vobis proinde cogitandum relinquo an salva religione tantum fidere possitis liberis

vestris, quantum hoc in genere fi-  
diets: coram etiam ingratis, qui  
dilectum hoc vobis inuenit, aut  
denunciant?

XIV. Hæc est pars aliqua, sed  
non nota summa peccatorum, quorum  
res agere cogit Parentes, tam non  
memores officii, quo tenentur; multa  
omnino supersunt, sed in aliud, ut  
dixi, tempus illa differo, quo illa com-  
modius persequor. Interim ad al-  
teram exitii sempiterni Parentum  
causam progredior, quam dixi esse,  
non tantum peccata filiorum gratia  
à Parentibus admittenda, sed quæ ad-  
missa à liberis, in Parentes redun-  
dant. Non dubitem, quin perspec-  
tum vobis sit, quod sicut boni,  
quod alius gesserit, particeps quis  
esse potest, si operam in id aliquam  
ipse contulerit; sic & malum ab al-  
tero patratum imputare possit illi,  
qui non parum, ut fieret, adjuve-  
rit ac promouerit. Quod cum sit,  
peccata aliorum, nostra fiunt, faci-  
untque, ut non minus metuere de-  
beamus, quam olim fornicariit Da-  
uid, cum metu consternatus sic  
Deum allocutus est: *Et ab alienis par-  
ce seruo tuo.* Tribus autem potissi-  
mum modis Parentes aliquid filio-  
rum delicta conferunt, antequam  
nimirum admittantur, aut cum ad-  
mittuntur, aut cum jam admittenda sunt.  
Hanc ad normam, si vobis quoque  
placuerit opera vestra explorare, in-  
uenietis, quod merito & pudorem vo-  
bis & timorem injiciat. Exemplum  
ejus rei sumam ex eo, de quo alio die  
differunt; tam id frequenter usave-

nit. Vestrum quis, cum familiam  
ipse regat, die festo in laborem non  
incumbit: omnino, verum id est;  
nam vel operariis diebus persæpe o-  
riolus est. Juber tamen ipse, ut la-  
borent alii, & quidquid laborum est,  
quod minore cum strepitu geratur,  
in dies sacros differt, ne aliis infra  
hebdomadam tempus præripiatur.  
Die feriato juber onerari currus in  
diem sequentem; hoc disponi lapi-  
des hoc concinnari pannos, aliosque  
suscipi labores, vetitos omnes,  
nisi urgens eos necessitas excuset.  
Imò cum suam etiam conjugem do-  
mi oriolam conspicatur, pro eo,  
quod ad preces fundendas illam ad-  
hortetur, & tantillum saltem boni  
faciendum, quod tot aliis diebus  
neglectum est, ipse, inquam, eam re-  
prehendit, plenum probro ait, ita  
harere desidem; nec dignam cibo,  
quam laborare pigeat. Hic talis  
coram Deo reus agatur dici sacri  
violati, & mirabitur accusationem:  
sed immeritò; nam si non suis, alio-  
rum certe manibus laboravit. Atque  
hoc est, aliorum delictorum reum  
constitui, antequam admittantur;  
illa inquam imperare,

XV. Conferre postmodum ali-  
quid ad illa, cum admittuntur, est  
operam vel agendo, vel consentien-  
do jungere. Mater illa jam vetula  
non potest ostentare sinum aper-  
tum, nisi aridam ossium compagem  
ante tempus spectantium oculis ve-  
lit obijcere: sinum interim & pe-  
ctus filiarum, quæ ea in re sibi compla-  
cer,

cer, denudat, & ad omnes ejus locichoreas pupillas, ac conventicula ducit, & quanto juvenula est prociacior, aut aspiciendo, aut arridendo, tanto magis Mater sibi gratulatur. Hoc autem cum ita sit, quacunquē noxas filia causā patrari continget, eadem in Matris etiam rationes referentur, eique imputantur. Quin ne tantum quidem requiritur, ut in eam culpa ejusmodi redundent; satis est illas, cum possit, non impedire, *Qui non vetat, vetare cum possit, jubet.* Cū Magistratus, & cui Jurisdictio in alium competit, malum non vetat, jubere illud cenferi potest. Jussit veterē in lege Deus, ut puella, quæ in sui desolationem consensisset, domo paterna ejecta lapidibus à Populo obrueretur. Quā autem istud cauā? Debebat hoc reverentem Dei imperium executioni mandari ante ades, & in oculis Parentum, ut cum Oleastro interpretum alii assermant; ut discerent eā re Parentes filiarum suarum curam gerere, scirentque non crudelitatis, sed justitiæ opus esse, interficere miseram Nam in ipsorum conspectu, cum æquum sit, eos aliquid etiam pena pati ac supplicii, qui non modicam in culpa partem habuerant. Nova quidem Lex supplicio hoc delictum ejusmodi non vendicat, non eo quidem, quod Deus in Christianis has noxas non oderit amplius etiam, cum sint magis graves, sed quia plus nobis moræ ad pœnitentiam indulget. Caterùm nemo tutus ambigat, quin liberorum peccata Patribus quoque sint impudāda quæ in iis impediēdis negligētes fuerint, haud aliter ac eorum reus habitus est Heli Sacerdos, cui Propheta Dei nonne plenūtiavit: *Quare calce abjecisti vestimentam meā, & munera mea, quæ præcepit ut offerrentur in Templo? Cum tamen satis constet, nihil tale ab ipso Helio fuisse perpetratum.* Sed quia id perpetrarunt filii, Parens autem eos non impedierat, eos etiam à munere illis, si res posceret, amovendo, quod tanta cum Populi offensione exercitabant, id circo ipse victimas velut calce abjecisse dictus est.

XVI. Tandem conferre aliquando ad peccatum, postquam jam admissum est, est, cum rescitum fuerit, oruntuna correptione non uti, sed rem omnem, ut ad se non pertinentem, dissimulare. Josue non Achædum solum ad lapidum supplicium damnavit, sed cum eo omnes & liberos, & famularem turbam; enim solus Pater familias Dei præceptum violarat, vetantis quidquam ex præda Jeticuntina ab ullo retineri; tamen cum aliqua ablata & retenta ab Achæno essent, liberi & famuli aut præda hac lætati sunt, operam etiam in eam domum asportandam collatā, aut certè parenti, vel Domino, ut debebant, non dixerunt: Res ista per legem à Deo latam promulgatamque retineri non possunt. Dicit vestrum quis: *Non foror.* Et fidem dicenti habeo. At cum filii

*Sener. Troa. 4. a. 2. 2.*

ejus noctu alienis ex vineis auferunt aliqua, & partem eorum domum afferunt, quid agit? Quid agit, cum pecora illi aliena magis quam sua in prata agunt, ibique saginant? An verbis eos, ut decet, castigat? An verberibus, an virgis in eos animadvertit? an verò putidè dissimulat omnia perinde ac si non videret? Qui conuivet, parùm se purgat, cum dicit; Nou furor: furum enim synpicio mactabitur ad eo. qui fures non ex manibus solùm, sed & ex animo & voluntate dignoscit. Sic etiam alius ipsemet non blasphematur, ita est: cur autem cum blasphemis tam horrendis filius ejus auram incestat, verberibus eum egregiè non mulctat; aut domo saltem suã non expellit? An pœna genus nimis crudele suadeo? Quam multi interim Parentes domo filios eiecercunt, propterea quòd invictis ipsis puellam aliquam in conjugem adoptassent; sic ut subinde eos omni etiam patrimonio spoliarent, hæreditatis jure in alios translato, & indignatione ultra vitæ dies prorogata? Quis Parentem mihi dabit, qui tam severe in filium blasphemum animadverterit?

XVII. Atque ita exempla vobis aliqua enarrata videtis, in quibus ut filiorum noxæ in Parentes redundant, ita nec ab eorum pœnis poterunt esse exempti. Nec verò queri de Deo potestis, tanquam nimis severo ac rigido; cum & vos non dissimilem sententiam contra alios i-

dentidem pronuntietis. Cum horologium horas malè indicat, statim in hujusmodi verba prorumpitis: Quid agit tandem, cui horologii cura commissã est? cur pulveres & quæ adhærescunt sordes crebriùs ac diligentius non abstergit, ut rectè ambulet; cur illud constanter non ita dirigit disponitque, ne tam se-dè aberrat? In re autem nostra, cum puerum videtis distortis cruribus; quid egit tandem, mox dicitis, mater, cur filium tenellum etiamnum non ita strinxit fasciis, ne vitium tibiarum traherent? cum verò balbutientem aliquem auditis filiolum; ut quid, subirati exprobratis, tam ignava fuit obstetrix, ut linguam non sicut oportebat solveret? Non disparem sententiam ferret Index ille supremus, cum ad tribunal vos suum evocabit. Cum filiam audierit tam non verecundam modestamque in loquendo, ut vel conjugatis aliis ruborem excutiat, dicit nimirum Juxta: Quid egit tandem hujus filia mater, ut eam sic loqui non doceret, prout virginem decet? cur permisit, ut verbis assuesceret vel meretricia linguæ pudendis? Cum verò Juvenem aliquem dissolutum viderit tam se-dè distortis in via Dei gressibus incedere, ut ne uni quidem Dei mandato obtemperet, dicit: Cur Pater tam, pensi non habuit, ut filium hunc tenerum doceret formare gressus in calle Mandatorum Dei, cur non ad crebrum Divinorum Myste-

A a. riorio-

tiorum usū adhortatus est? cur non timorē Dei tenello instillavit? cur non crebrius ad focum, qua pro concione audierat, quam inania fabularum commenta recensuit? Ad hæc autem, AA. Dilectissimi, quid tandem reponetis? jam nunc quælo hæc de re cogitate, vos inquam, qui cum liberorum aliquis figlinum mense orbem frangeret, totam clamoribus viciniam replebatis; cum autem filia turpisse flagitio contaminaret, tam non dolebatis, ut excusaretis etiam, cum dicto: *Juvenis*

*S. Chry.* est: sic hujus ætatis fertur genius. Alti hom. 9. in animum descendat oportet illud in 1. ad

*Timoth.* depositum Filios; ingenti illos servemus curâ. Unde si non donum, sed depositum sunt, nobis reddenda erit ratio, si nostrâ socordiâ pereant: verè enim pars longè maxima, si non omnis earum, quas liberi admittunt, noxarum adscribenda est Parentum in iis educandis & corrigendis ignavia: haud aliter ac Medici possunt hiemes nimis mites & tepidas:

*Hippocr.* sunt hiemes nimis mites & tepidas: de aere Hiems australis & clemens, facit abortus & aquis suis vel partus morbosos.

XVIII. Evigilate igitur, Dilectissimi, & posito omni torpore, strenuè agite negotium tanti momenti, seu vos, seu liberos vestros spectetis. Cavete, ne tam pernitiabili negligentia ingratum inviliumque ipsis reddatis, quod cæteroquin vobis debent,

vite beneficium; & si illorum vel commoda vel tantopere cordi non sunt, vos saltem salutis cura tenete de qua non ob proprias magis, quam alienas noxas vehementer periclitimini. Audite loquentem Deum: *Qui docet filium suum, in zelum non in inimicum suum.* Qui filium suum educat, summum in furorem hostem suum, malum inquam monem, qui satis prospicit, ut se eâ re animarum jacturam facere, Filii nimirum bene rectè educati, Patris verò sapienter ac viter educantis. Patris enim di latus volensque hinc migrare sic enim pergit Deus, in obitu non est contristatus: nec enim ex terro sperare poterit felicitatem ternam, tam propter bona, quæ fecit ipse, quàm ob ea, quæ fecerunt fierent. Vos proinde, qui haec tenus tam nullo numero habuistis peccata, quæ in liberorum educatione admittuntur, hinc pedem efferre ante non decet, quàm coram Deo palam & sine fuce fateamini esse hæc delicta haud sanè levis momenti, statuatisque ea seriò ac constantè emendare; id enim nisi non dicam jam vos in presentium salutis vestræ versari discrimine, sed de Anima vestra planè jam actum esse; cum in oculis illa vestris præceps ruat, nec tam ejus servanda ulla vos cura ac studium tangat.